

pius debes recurrere, de cujus fonte quidquid est in te per Dei gratiam disciplinæ, et scientiæ, cognosceris habuisse. Vellem itaque, dilectissime, ut de famoso illo vestræ Ecclesiæ armario aliquid, quod apud nos non est, vel scribendum, vel a te scriptum, nobis transmitteres, quatenus ex vestra abundantia nostra suppleret inopia, et per id tuæ apud nos dilectionis recalesceret memoria. Josephi Opus, Excidium Jerosolymorum, et celebratum Romæ Vespasiani et Titi Triumphum, si apud vos

est, rogo, ut diligenter, et veraciter inquiras, et nobis per aliquem scribendum transmittere in vera charitate non differas, quia diu est, ex quo apud vos esse idem opus veraciter audivi, sed videre nunquam potui. Labora igitur, ut quod ab aliis non est factum a te fiat, ut tibi et a fratribus tuis gratiarum actio, et a Deo reddatur remuneratio. Vale. Dominum abbatem, germanum tuum ex parte nostra plurimum saluta, eique sicut bonus filius devote obedire et servire cura.

ANNO DOMINI MCLXII

HARIULFUS

ABBAS ALDENBURGENSIS

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

(*FABR. Jc. Biblioth. med. et inf. lat.*, tom. III, p. 191)

Hariulfus ex monacho Centulensi S. Richarii abbas S. Petri Aldenburgensis non procul Burgis in Flandria ord. Bened., ab anno 1104 ad 1142, scriptor *Chronici Centulensis* cœnobii libris IV ab medio sæculo sexto ad annum 1088, editi a Dacherio Spicil. tom. IV, pag. 419 (editionis novæ tom. II, pag. 291-356, ubi longe integrius et emendatius exhibetur beneficio Ursini Durant, ex ms. Centulensi). Versus quibus opus clauditur ediderat Mabillonius tom. I Analect., pag. 431 (editionis novæ p. 578). Libro tertio p. 310 notabilis est catalogus voluminum 256 ms. inter divitias claustrales hujus cœnobii asservatorum. Ut *Vitam S. Richarii* abbatis libro primo, ita libro secundo S. Angilberti abbatis septimi, præter alias persequitur, quam ex hoc Chronico assert etiam Mabillonius Sæc. IV. Bened. p. 91, et de *Richarii Miraculis* Sæc. V, p. 585; de quibus vide lib. III, c. 18, et lib. IV, c. 9. De *Madelgisilo* confessore disserit Hariulfus lib. III, cap. 29, sed hujus *Vitam* peculiari libro scripsit, quem Gervino, sedis Ambianicæ episcopo dicavit. Hanc ex Mabillonii editione Sæc. IV Benedictin., parte II, pag. 557, repetit Papebrochius additis notis tom. VII Maji, die 30, pag. 265-269. Gervini abbatis *Vitam* persequitur Hariulfus lib. IV, cap. 13, seq., ubi itidem c. 32 notandus catalogus mss. voluminum xxxvi, quæ cœnobio contulit. Huic Gervino an. 1074 defuncto successit Gervinus abbas, secundus hujus nominis, de quo lib. IV, cap. 34 seq.; ubi et epitaphium ejus cap. 36, defuncti an. 1074. Sed scripsit etiam *Vitam S. Arnulfi* Suesessionensium episcopi, an. 1087 extincti, ad Lambertum episcopum Tornacensem, ms. in monasterio Ursicampi ord. Cisterc. in Gallia, diœcesis Noviomensis. Appendicem de miraculis S. Arnulfi addidit Lisiardus, episcopus et ipse ab anno 1108 Suesessionensis. Inde vitam quoque sub falso Lisiardi nomine, et malo more interpolatam, vulgavit Surius 14 Augusti omisa triplici præfatione, quam post Vossium vidisse se in ms. Ursicampensi et altero S. Germani de Pratis vidisse se testatur Oudinus tom. II, pag. 926. Integram edidit Mabillonius Sæc. VI Benedictin., parte II, pag. 522. Apud Sanderum in Catalogo mss. Belgii, p. 235, memorari videas *Hariulfum abbatem Altenburgensem de miraculis S. Petri apostoli in Aldenbrock*. Hunc a nostro minime diversum esse, unumque Hariulfum a Cangio in tres distrahi non dubito.

CHRONICON CENTULENSE

AUCTORE HARIULFO.

(*Spicilegium Dachery*, edit. De La Barre tom. II, p. 291.)

MONITUM.

Chronicon Centulense cum in priori editione variis mendis deformatum, et aliquot non commatibus soluta, sed etiam capitibus mutilum publici juris factum fuisset, nunc integrum edimus, ex humanitate R. P. D.